



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

3. Disciplina quot modis dicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)



## CAPVT III.

**C**irca primum notandum, quòd nomen disciplinae multipliciter sumitur. Vno modo dicitur disciplina, quarumcunque rerum scientia: & differt à doctrina in hoc, quòd doctrina dicitur tantum in comparatione ad docentem: disciplina verò in comparatione ad discipulum. Alio modo disciplina est pars iustitiae, qua redditur inferiori quod debetur: Sicut obedientia est pars iustitiae, qua redditur quod debetur superiori. Sic disciplina est desiderium corrigendi inferiores: & videtur idem esse quod zelus: de quo glo. August. super illud: Zelus domus tuae comedit me. Bonus zelus est feruor animi, quo mens abiecto timore humano, pro defensione veritatis accenditur. Et comeditur, cum quaelibet praua quae viderit, corrigere satagit: & si nequit, tolerat & gemit. Aliquando dicitur disciplina id quod adhibetur ad correctionem aliquorum: & sic accipitur; Fili mi, noli negligere disciplinam. In disciplina perseuerate. Si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, Ergo adulteri & non filij estis. Quarto modo dicitur disciplina effectus disciplinae sumptae secundo & tertio modis.

sic videtur eam describere

Cyprianus.

*Tract. 10. in  
Ioannem,  
in medio.*

*Heb. 12.  
Ibidem.  
Ibidem.*



*Sequit.*